

Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 66

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Majoris scilicet hujus habitatores Monasterii Sancti Martini, Vindocinensem quendam honoratum, nomine Fulcherium de Turre, ejusque sororem vocabulo Agnen, Gilduini de Malliaco recens defuncti conjugem, donasse Sancto Martino et nobis sub regimine nunc agentibus domni abbatis Alberti, anno ab incarnatione Domini Mo LXo Ilo, colibertum unum adolescentulum videlicet quendam, nomine Hugonem, patre Felice et Rainilde matre progenitum. Et pater quidem ipse ex libero genere descenderat, sed eadem mater supradictorum extitit coliberta. Donaverunt ergo nobis jam dictum filium ipsorum, sicut suae ditionis eatenus fuerat, ita nostrae deinceps cum sua omni si qua unquam fuerit posteritate futurum. Testibus istis: Nihardo de Ruga Vassaloria, Supplicio filio Durandi Mille Scuta, Rainaldo nepote Gilduini, Petro de Maitriaco; de famulis: Mainardo cellarario, Guarnerio de elemosina, Guanilone monacho, Hugone monacho.